

Dei vivi. Unde et eadem Dominus ait: Ego pro te rogavi Patrem, ut non deiciat fides tua.

Patet etiam quod ipse Patriarchis prælati existat ex hoc quod Cyrillus dicit, quod *ipsius*, scilicet, apostolici throni Romanorum Pontificum, *solus est reprehendere, corrigere, statuere, solvere, disponere, et loco illius ligare qui ipsius adificavit.* Et Chrysostomus super Acta Apostolorum dicit, quod *Petrus est vortex sanctissimus beati apostolici throni, pastor bonus.* Item etiam hoc patet ex auctoritate Domini dicentis, Luc. 22. 32. *Tu aliquando conversus confirmas fratres tuos.*

Ostenditur etiam, quod subesse Romano Pontifici, sit de necessitate salutis. Dicit enim Cyrillus in Libro Thesaurorum: *Itaque fratres, sic Christum imitatur, ut ipsius ovis vocem eius audiamus, manentes in Ecclesia Petri; et non insequeremur vento superbie, ne forte tortuosus serpens propter nostram contentionem nos eiciat, ut Evam olim de paradiso.* Et Maximus in epistola Orientalibus directa dicit: *Coadunata, et fundata super petram confessionis Petri dicimus universalem Ecclesiam secundam diffinitionem Salvatoris, in qua necessario salutis animarum nostrarum est remanere, et ei est obedire, suam servantes fidem, et confessionem.*

Sicut autem prædicti errantes contra unitatem corporis mystici peccant, Romani Pontificis potestatem plenariam abnegantes; sic contra puritatem sacri corporis Christi delinquant, dicentes, ex azymo pane corpus Christi consecrari non posse: quod in Græcorum Doctorum auctoritatibus improbat. Dicit enim Chrysostomus super illud Evangelium: *Prima die azymorum: Primam diem dicit diem Jovis, in qua incipiebant legis cultores pascha celebrare, id est azyma comedere omni expulso fermento. Dominus ergo mittit discipulos suos die Jovis, quam dicit Evangelista primam diem azymorum, in qua ad vespas Salvator comedit pascha. In quo factio etiam per omnia apertissime demonstravit à principio suæ circumcisionis usque ad extremum diem pascha, quod non erat contrarius divinarum legum. Patet autem quod esset contrarius, si fermentato pane usus fuisset. Patet ergo quod Christus in institutione hujus sacramenti ex pane azymo corpus suum consecravit.*

Sciendum tamen, quod quidam dicunt Christum prævenisse diem azymorum propter passionem imminentem, et tunc fermentato eum usum fuisse. Quod quidem ostendere nituntur ex duobus. Primo ex hoc quod dicit Joann. 13. quod ante diem festum pasche Dominus cum discipulis cenam celebravit, in qua corpus suum consecravit, sicut Apostolus tradit I. Corinth. 11. Unde videtur quod Christus cenam celebravit ante diem azymorum, & sic in consecratione sui corporis usus fuerit pane fermentato. Hoc etiam confirmare volunt per hoc quod habetur Joann. 13. 11. quod feria sexta, qua Christus crucifixus est, Judæi non intraverunt pratorium Pilati, ut non contaminarentur, sed manducarent pascha. Pascha autem dicitur azyma. Ergo concludunt, quod cena fuit celebrata ante azyma.

Ad hoc autem responderi Chrysostomus super Joannem super illud: *Non contaminarentur &c.* Quid est hoc dicere, nisi quia in alia die comederunt pascha, et legem solvantur, ut pessimum animi sui adimplerent desiderium in morte Christi? Christus autem non præterit tempore pasche diem sanctum Jovis, sed in ipso pascha comedit.

(1) Al. sicut Dominus.

Sed quia hoc non constat, melius potest dici, quod

(1) Dominus mandat Exod. 13. festum azymorum septem diebus celebrari, inter quas dies prima erat sancta, atque solemnissimè præcipue inter alias, quæ erant quintadecima die mensis. Sed quia apud Judæos sollemnitates à præcedenti vespere incipiunt, idem quintadecima die ad vespas incipiunt comedere azyma, & comedebat per septem subsequentes dies. Et ideo dicitur in eodem capitulo: *Primo mense quintadecima die mensis ad vespas comeditis azyma usque ad diem tricesimam primam ejusdem mensis ad vespas: septem diebus fermentum non invenietur in domibus vestris.* Et eadem quartadecima die ad vespas immolabatur agnus paschalis. Prima ergo dies azymorum à tribus Evangelistis, Mattheo, Marco, & Luca, dicitur quartadecima dies mensis, quia ad vespas comedebatur azyma, & tunc immolabatur pascha, id est agnus paschalis; & hoc erat, secundum Joannem, ante diem festum pasche, id est ante quintadecimum diem mensis, qui erat solemnior inter omnes, in quo Judæi volebant comedere pascha, id est panes azymos paschales, & etiam agnum paschalem.

Et sic nulla discordia inter Evangelistas existente, planum est quod Christus ex pane azymo corporis suum consecravit in cena. Hoc etiam patet quod magis congruit puritati corporis mystici, id est Ecclesie, quæ in hoc sacramento figuratur. Unde dicit Gregorius Nazianzenus de pascha Domini: *Celebramus Domino festum in júbilo, non in fermento veteri malitie, et nequitie, sed in azymis sinceritatis, et veritatis.*

Non autem propter hoc intendimus quod ex fermentato hoc sacramentum confici non possit. Dicit enim Gregorius Papa in Registro: *Romana Ecclesia offert azymos panes, propterea quod Dominus sine ulla commixtione suscepit carnem, sed cetera Ecclesia offerunt fermentatum, pro eo quod verbum patris inditum est carne, et est verus Deus, et verus homo. Item et fermentum commiscetur farina, et efficitur corpus Domini nostri Jesu Christi vivi.*

Quod est purgatorium, in quo purgantur anima à peccatis quæ non in vita præsentis purgantur.

Dimittitur autem virtus hujus sacramenti ab illo qui purgatorium negat post mortem. Nam in purgatorio existentibus præcipuum remedium in hoc sacramento confertur. Dicit enim Gregorius Nyssenus in sermone de defunctis: *Si aliquis in hac labili vita peccata purgare minus potuit, post transitum hinc per purgatorii ignis conflationem citius magis ac magis fidelis sponsa sponso dona, et hostias in passionis memoriam offert pro filijs quos ipsi sponso verbo, et sacramento rei præclare genuit, pena alacriter expeditur secundum quod prædicamus dogma veritatis servantes, ita et credimus. Item Theodorus Episcopus Cyrenensis super illud I. ad Corinth. 11. *Si cuius opus arserit &c.* sic dicit: *Dicit Apostolus, quod salvabitur sic tanquam per confutatorium ignem purgantem quicquid intervenit per incautam præteritam vitam ex pulvere salutem pedum terreni sensus: in quo tamen manet, quamdiu quicquid corpulentia, et terreni affectus inhæsit, purgetur: pro quo mater Ecclesia hostias, et dona pacifica devote offert; et sic per hoc mundus inde prius extans, Domini Sabaoth purissimis oculis immaculatus assitit.**

Hæc sunt, Pater sanctissime, quæ ex auctoritatibus

bus Doctorum Græcorum secundum vestram jussio-nem excepti, & exponenda, & ad confirmationem veræ fidei inducenda. Inveniunt tamen inter prædictas auctoritates quædam indecentes expositiones interpositæ, sicut quod *logos* exponit translator fere ubique *sermonem mentalem*, cum secundum usum Scripturæ Latine convenientius exponeret verbum: & *hypostasim* exponit *essentialem personam*: quam expositionem sequens aliquando cogitur inconveniens dicere, sicut ubi dicit, *Deus Trinitus*, id est trinus essentialiter personalis: hoc enim est omnino erroneum, quod Deus sit essentialiter trinus. Sufficeret autem pro hypostasi transferre simpliciter personam. Sic enim utimur nomine *persona* in confessione fidei, sicut Græci nomine *hypostasis*, ut dicit Augustinus, licet non sit omnino eadem ratio significandi per nomen. Inducit etiam ad Ludem Sanctorum Patrum aliqua quæ modum puri hominis excedunt, aliquos nominans Patres fidei, quod solius Christi est, à quo secundum Apostolum ad Heb. 11. principium accipit fides enarrandi. Cæteri vero possunt dici Doctores, vel expositores fidei, non autem Patres. Inducit etiam in principio hujus libelli quædam auctoritates sacræ Scripturæ, quæ si nude

proferantur, non expresse probant processionem Spiritus Sancti à filio, sicut quod inducit: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Utiur etiam & ipse à quibus modis loquendi quos in auctoritatibus sanctorum Patrum invenit, qui, sicut superius dictum est, magis sunt reverendi, sicut quod in divinis personis sit primum, secundum, tertium, & causatum. In suis etiam expositionibus multis improprie verbis, & indecentibus utitur, sicut quod dicit, quod *filius habet proprietatem geminam inter patrem & spiritum*, ut dicam, subalternam per modum prædicandi. Prima se habet ad patrem tamquam subiectum ad prædicatum, & secunda ut prædicatum ad subjectum, & ita ad Spiritum Sanctum. Quod est omnino erroneum. Item dicit, quod *imago in Græco idem est quod entitas secunda*: quod omnino indecenter dicitur. Idem dicit, quod *imago non importat originem*: quod est contra Augustinum in Lib. LXXIII. Quæstionum. Sunt autem fortassis & alia in prædicto libello quæ vel dubia esse possunt, & expositione indigent; sed quæ ad fidei assertionem utilia esse possent, ad ea quæ præmissa sunt, ut credo, omnia possunt reduci.

DIVI THOMÆ AQUINATIS, DECLARATIO QUORUMDAM ARTICULORUM

CONTRA GRÆCOS, ARMENOS, ET SARACENOS

ad Cantorem Antiochenum.

OPUSCULUM II. *

* Al. III.

CAPUT I.

Barus Petrus Apostolus, qui promissionem accepit à Domino ut super ejus confessione fundaretur Ecclesia, contra quam portæ inferorum prævalere non possent, ut contra hujusmodi portas interorum, Ecclesie sibi commissa fides inviolata persisteret, fideles Christi alloquitur dicens I. Pet. 11. 15. *Dominum Christum Sanctificato in cordibus vestris, scilicet per fidei firmitatem: quo fundamento in corde collocato contra omnes impugnationes, aut irrisiones infidelium tui esse poterimus: unde etiam subdit: Parati ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis, est spe. Fides autem christiana principaliter consistit in confessione sanctæ Trinitatis, & specialiter gloriatur in cruce Domini nostri Jesu Christi. Nam verbum crucis, ut Paulus dicit I. Corinth. 1. 18. (1) etsi pereuntibus stultitia sit, his tamen qui salvati sunt, id est nobis, virtus Dei est. Spes etiam nostra in duo-*

bus consistit, scilicet in eo quod expectatur post mortem, & in auxilio Dei, quo in hac vita juvatur ad futuram beatitudinem per opera liberi arbitrii promerenda. Hæc ergo sunt quæ, ut tu asseris, ab infidelibus impugnantur, & irriduntur. Irrident enim Saraceni, cum Deus uxorem non habeat, & reputant nos insanos, quod tres personas confitemur in Deo, etiam per hoc existimantes nos tres deos profiteri. Irrident etiam quod Christianus Dei Filium pro salute humani generis dicimus crucifixum: quia si Deus omnipotens potuit absque Filii sui passionem genus humanum salvare, potuit sic instituire hominem ut peccare non posset. Improperant etiam Christianis, quod in altari comedunt Deum suum, & quod corpus Christi, si esset ita magnum sicut mons, jam deberet esse consumptum. Circa statum vero animarum post mortem asserit errare Græcos, & Armenos, dicentes, quod animæ post mortem usque ad diem judicii nec ponuntur, nec præmiantur, sed sunt quasi in sequestro, quia nec penam, nec premium debent habere sine corpore. Et in sui erroris assertionem

(1) Vulgata pereuntibus quidam stultitia est.

vir habere uxorem, & uxor virum. Et similiter in his quæ per relationem uniuertur, sicut dicimus, quod pater habet filium, & filius patrem. Si ergo sic uniuertur Deus humanæ naturæ sicut anima corpori, ut ex his consideraretur una natura communis, posset dici, quod Deus habet naturam humanam, & humana natura habet Deum, sicut anima habet corpus, & è converso. Sed quia ex diuina, & humana natura non potest constitui una natura propter perfectionem diuinæ, ut dictum est, & tamen in prædicta unione principalis est quod est ex parte Dei; manifeste consequitur quod ex parte Dei accipi oportet id quod habet naturam humanam. Illud autem quod per aliquam naturam dicitur esse, dicitur esse suppositum, vel hypostasis naturæ illius, sicut quod habet naturam equi, dicitur esse hypostasis, vel suppositum naturæ equine. Et si sit natura intellectualis quæ habetur, talis hypostasis dicitur persona; sicut dicimus Petrum esse personam, qui naturam humanam habet, quæ est intellectualis natura. Cum ergo filius Dei, unigenitum Dei verbum, per assumptionem habeat humanam naturam, ut dictum est; sequitur quod sit hypostasis, vel suppositum, vel persona humanæ naturæ; & cum ab æterno habeat diuinam naturam, non per modum compositionis, sed simpliciter identitatis; dicitur etiam hypostasis, vel persona diuinæ naturæ, secundum tamen quod diuina uerbis humanis exprimi possunt. Ipsum ergo unigenitum Dei uerbum est hypostasis, vel persona duarum naturarum, diuinæ scilicet, & humanæ, in duabus naturis subsistens.

Si quis autem obijciat, quod humana natura etiam in Christo non sit accidens, sed substantia quædam, non autem universalis, sed particularis, quæ hypostasis dicitur; uideatur consequi quod ipsa humana natura in Christo hypostasis quædam sit præter hypostases Christi uerbi, & sic in Christo erunt duæ hypostases. Considerare debet qui sic obijciat, quod non omnis substantia particularis hypostasis dicitur, sed solum illa quæ ab aliquo principali non habetur. Manus enim hominis substantia est quædam particularis, non tamen potest dici hypostasis, nec persona, quia habetur à principali, quod est homo; alioquin in quouis homine essent tor hypostases, vel personæ, quot membra, vel partes. Humana ergo natura in Christo non est accidens, sed substantia, non universalis, sed particularis; nec tamen hypostasis dici potest, quia assumitur à principali, scilicet à Dei uerbo. Sic ergo Christus est unus propter personæ, vel hypostasis unitatem, nec potest dici esse duo; sed proprie dicitur, quod habet duas naturas. Et licet diuina natura prædicetur de hypostasi Christi, quæ est hypostasis uerbi Dei, quod est ejus essentia; tamen humana natura non potest prædicari de eo in abstracto, sicut nec de aliquo habente humanam naturam. Sicut enim non possumus dicere, quod Petrus est humana natura, sed quod est homo, in quantum habet humanam naturam; ita nec possumus dicere, quod Dei uerbum sit humana natura, sed quod habet humanam naturam assumptam, & ex hoc dicitur homo. Utraque ergo natura prædicatur de uerbo Dei, sed una in concreto tantum, scilicet humana, ut cum dicimus, filius Dei est homo; diuina uero natura & in abstracto, & in concreto dici potest, ut quod uerbum Dei est diuina essentia, uel natura, & quod est Deus. Cum autem Deus sit habens diuinam naturam; & homo sit habens humanam naturam, per hæc duo nomina significatur duæ naturæ habitæ, sed unus habens utramque. Et cum

habens naturam sit hypostasis, sicut in nomine De intelligitur hypostasis uerbi Dei, ita in nomine hominis intelligitur uerbum Dei, secundum quod attribuitur Christo.

Et si patet quod per hoc quod dicimus Deum Christum, & hominem, non dicimus eum esse duo, sed unum in duabus naturis. Quia uero ea quæ conueniunt naturæ, attribui possunt hypostasi illius naturæ; hypostasis autem tam humanæ naturæ, quam diuinæ includitur tam in homine significante diuinam naturam, quam in homine significante humanam, quod est eadem hypostasis habens utramque naturam; consequens est ut tam humana, quam diuina prædicentur de illa hypostasi, seu secundum quod includitur in nomine significante diuinam naturam, seu secundum quod includitur in nomine significante humanam. Possumus enim dicere, quod Deus uerbum Dei est conceptus, & natus de Virgine, passus, mortuus, & sepultus attribuentes hypostasi uerbi humana propter humanam naturam; & è converso possumus dicere, quod homo ille est unum cum patre, & quod est ab æterno, & quod creauit mundum propter diuinam naturam.

In his ergo tam diuersis de Christo prædicandis distinctio inuenitur, si consideretur secundum quod ista de Christo dicuntur quædam enim dicuntur secundum humanam naturam, quædam secundum diuinam. Si autem consideretur de quo dicuntur, indistincte profertur, quia eadem est hypostasis de qua & diuina, & humana dicuntur; si dicam, quod idem est homo qui uidet, & audit sed non secundum idem; uidet enim secundum oculos, & audit secundum aures. Idem etiam est pomum quod uidetur, & odoratur; sed hoc quidem colore, illud autem odore. Ratione cuius dicere possumus, quod uidens audit, & audiens uidet, & visum odoratur, & odoratum uidetur. Et similiter dicere possumus, quod Deus nascitur de Virgine propter humanam naturam, & homo ille est æternus propter diuinam.

CAPUT VII.

Qualiter sit accipiendum quod dicitur uerbum Dei passum.

EX consideratione ergo præmissorum satis apparere potest, jam nihil inconueniens sequi ex eo quod dictum est quod unigenitum Dei uerbum passum, & mortuum confitemur. Non enim hæc ei attribui secundum naturam diuinam, sed secundum humanam, quam pro nostra salute in unitatem personæ assumpsit.

Si quis autem obijciat, quod Deus, cum sit omnipotens, alio modo poterat humanum genus saluare quam per unigeniti sui mortem; considerare debet qui hoc obijciat, quod in factis Dei considerandum est quid conuenienter fieri potuit, etiam si alio modo illud Deus facere potuisset; alioquin omnia ejus opera similis ratio irripiat. Si enim consideretur quare Deus fecerit celum tantæ quantitatæ, & quare condiderit in tali numero stellas; sapienter cogitantur occurrere secundum quod sic conuenienter fieri potuit, licet aliter facere potuerit. Dico autem hæc secundum quod credimus totam naturæ dispositionem, & humanos actus diuinæ providentiæ esse subiectos. Hæc enim credulitate sublata, omnis Diuinitatis cultus excluditur. Suscepimus autem præsentem disputationem ad eos qui se Dei cultores dicunt, seu sint Saraceni, seu Christiani, seu Judæi. Ad eos autem qui

omnia ex necessitate prouenire dicunt à Deo, operosius à nobis alibi disputatum est. Si aliquis ergo conuenientiam passionis, & mortis Christi pia intentione consideret, tantam scientiæ profunditatem inueniet, ut semper aliqua cogitanti plura, & majora semper occurrant, ita quod experti possit ueram esse quod Apostolus dicit I. Cor. 1. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus uero stultitiam; ipsis autem uocatis Judæis, & quæ Græcis Christum Dei uirtutem, & Dei sapientiam; & iterum: Quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus.*

Primo ergo considerandum occurrit, quod Christus humanam naturam assumpsit ad lapsum hominis reparandum, ut diximus. Ea ergo oportuit Christum pati, & agere secundum humanam naturam, per quæ remedium adhiberi posset contra peccatum. Peccatum autem hominis in hoc consistit: quod homo corporalibus adherens, spiritualia bona prætermittit. Hoc ergo decuit Dei filium in assumpta hominis natura ostendere per ea quæ fecit, & passus est, ut homines temporalia bona, uel mala pro nihilo ducerent, ne ab eorum inordinato affectu impediti, spiritualibus minus dediti essent. Unde Christus pauperes parentes elegit, & tamen uirtute perfectos, ne quis de sola carnis nobilitate, & parentum diuitiis gloriaretur. Pauperem uitam gessit, ut diuitias doceret contemneret. Privatus absque dignitate uixit, ut homines ab inordinato horum appetitu reuocaret. Laborem, sitim, famem, & corporis flagella sustinuit, ne homines uoluptatibus, & deliciis intenti, propter asperitatem hujus uitæ retraherentur à bono uirtutis. Ad extremum subiit mortem, ne propter mortis timorem aliquis ueritatem desereret. Et ne aliquis pro ueritate uirperabilem mortem timeret, exprobatissimum genus mortis elegit, scilicet crucis. Sic quoque conueniens filium Dei hominem factum mortem pati, ut sui exemplo homines provocaret ad uirtutem, ut sic uerum sit quod Petrus dicit I. Pet. 11. 21. *Christus passus est pro uobis, uobis relinquens exemplum ut sequamini uestigia ejus.* Deinde quia hominibus ad salutem necessaria est non solum conuersatio recta, per quam uirtutes peccata, sed etiam cognitio ueritatis, per quam uirtutes errores; ad reparationem humani generis necessarium fuit ut unigenitum Dei uerbum naturam humanam assumens, in certa ueritatis cognitione firmaret ueritatem. Veritati autem quæ doceat per hominem, non omnino firma creditulitas adhereret, quia homo decipi, & decipere potest; sed à solo Deo absque omni dubitatione ueritatis cognitio confirmatur. Sic ergo oportuit Dei filium hominem factum doctrinam diuinæ ueritatis hominibus proponere, ut ostenderet hanc diuinitatem, non humanam esse; & hoc ostendit in miraculorum multitudinem. Operantur enim ea quæ solus Deus facere potest, puta mortuos suscitando, cæcos illuminando &c. credendum erat ut per Deum loqueretur. Sed quia miracula ejus, qui præsentem aderant, uidere potuerunt, ne à posteris crederentur conficta; contra hoc diuina sapientia remedium exhibuit per Christi infirmitatem. Si enim uixisset diues, potens, & in magna dignitate constitutus, credi potuisset quod doctrina ejus, & miracula favore hominum, & potestate humana fuissent recepta. Et ideo ut palam fieret opus diuinæ uirtutis, omnia abjecta, & infirma in mundo elegit, pauperem matrem, & uitam inopem, discipulos, & nuntios idiotas, reprobos, & condemnari usque ad mortem à magnatibus mundi; ut manifeste appareret quod susceptio miraculorum,

ejusque doctrinæ, non humanæ potentie, sed diuinæ attribuenda sit. Unde & in his quæ fecit, uel passus est simul conjungebantur & humana infirmitas, & diuina potestas. In natiuitate enim pannis inuolutus in præsepio ponitur; sed ab Angelis collaudatur, & à Magis stella duce adoratur. Tentatur à diabolo; sed ei ministratur ab Angelis. Vivit inops, & mendicus; sed mortuus suscitatur, & cæcos illuminatur. Moritur affixus paribulo, annumeratur latronibus; sed in ejus morte Sol obscuratur, terra iremit, franguntur lapides, aperitur monumenta, & mortuorum corpora suscitantur. Si quis ergo ex talibus initiis tantum fructum uideat consecutum, scilicet conuersionem fere totius mundi ad Christum, & ulterius alia signa quærat ad credendum; durior lapide censeretur potest, cum in morte ejus & petra scisse sint. Hinc est quod Apostolus I. Corinth. 1. 18. dicit *Verbum crucis peruenitibus stultitia est, his autem qui salui sunt, id est nobis, uirtus Dei est.*

Est autem circa hoc, aliud considerandum, quod secundum eandem rationem providentiæ, qua in se ipso Dei filius homo factus, infirma pati uoluit, etiam suos discipulos, quos humanæ salutis ministros instituit, uoluit in mundo esse abjectos. Unde non elegit literatos, & nobiles, sed illiteratos, & ignobiles, pauperes scilicet piscatores; & eos mittens ad salutem hominum procurandum, iussit paupertatem seruare, & persecutiones, & opprobria pati, & mortem etiam pro ueritate subire, ne eorum prædicatio ad aliquod terrenum commodum composita uideretur, & ne salus mundi adscriberetur humanæ sapientiæ, aut uirtuti, sed solo uerbo diuinæ. Unde nec in eis defuit uirtus diuina mirabilia operans, qui tamen secundum mundum uidebantur abjecti. Hoc autem necessarium erit reparationi humanæ, ut homines discernant ne de se ipsis superbe confiderent, sed de Deo. Hoc enim ad perfectionem humanæ iustitiæ requiritur ut homo totaliter se Deo subiciat, à quo etiam omnia bona consequi speret adipiscenda, & adepta recognoscat. Ad bona igitur præsentia hujus mundi contentenda, & aduersa qualibet toleranda usque ad mortem, nullo modo melius ejus discipuli potuerunt insinuat quam per passionem, & mortem Christi; unde & ipse eis dicebat Joan. xv. 20. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

Deinde considerandum est, quod hoc habet ordo iustitiæ ut pro peccato poena infligatur. Apparet enim in humanis iudiciis quod ea quæ iniuste facta sunt, ad iustitiam iudicis quod dum iudex ab eo qui aliena capiens, plus habet, quam debeat, subtrahit quod plus habet, & dat ei qui minus habet. Quicumque autem peccat, plus uel uoluntari indulget quam debeat: ut enim uoluntatem suam impleat, transgreditur ordinem rationis, & legis diuinæ. Ad hoc igitur quod ad iustitiam ordinem reducat, oportet quod uoluntati subtrahatur de eo quod uult, quod fit dum uoluntati uel per subtractionem bonorum quæ uellet habere, uel per illationem malorum quæ pati recusat. Hæc ergo reintegratione iustitiæ per penam quandoque fit per uoluntatem ejus qui puniatur, dum ipsemet sibi penam imponit, ad iustitiam redeat; quandoque uero fit eo invito; & tunc quidem ipse ad iustitiam non reduciatur, sed in eo impletur iustitia. Erat autem totum humanum genus peccato subiectum. Ad hoc ergo quod ad stratum iustitiæ reduceretur, oportebat inuenire penam, quam homo sibi ipsi assumeret ad implendum diuinæ iustitiæ ordinem. Nullus autem homo purus tantus esse poterat qui posset satisfacere sufficienter Deo, præ-

tuum esse, tantum mysterii profunditatem non intellegentes. Et ne mors filii Dei perverse intelligatur, prius aliquid de filio Dei incarnatione dicere oportet. Non enim dicimus filium Dei morti subiectum fuisse secundum naturam divinam, in qua est æqualis patri, quæ est fontalis omnium vita; sed secundum naturam nostram, quam assumpsit in unitatem personæ.

Ad incarnationis ergo divinæ mysterium aliquoties considerandum, oportet advertere, quod omne per intellectum agens, per conceptionem sui intellectus, quam dicimus verbum, operatur, ut patet in edificatore, & quolibet artifice, qui secundum formam quam mente concepit, exterius operatur. Quia ergo Dei filius est ipsum Dei verbum, consequens est ut Deus omnia per filium fecerit. Unaquæque autem res per eadem fit, & reparatur: si enim domus collapsa sit, per formam artis reparatur, per quam à principio condita fuit. Inter creaturas autem à Deo conditas per verbum suum, primum gradum tenet creatura rationalis, tantum quod omnes alia creaturæ ei subserviunt, & ad ipsam ordinari videntur; & hoc rationabiliter, quia rationalis creatura dominium habet sui actus per arbitrii libertatem, cæteræ vero creaturæ non ex iudicio libero agunt, sed quadam vi naturæ moventur ad agendum. Ubi quæ autem quod est liberum, præminet ei quod est servum, & servi ad liberorum famularum ordinantur, & liberis gubernantur. Lapsus ergo rationalis creaturæ secundum veram æstimationem magis æstimandum est quam cuiuscumque irrationalis creaturæ defectus. Nec est dubium quin apud Dei iudicium res secundum veram æstimationem iudicentur. Hoc ergo conveniens est divinæ sapientiæ ut præcipue lapsus rationalis creaturæ repararet, magis etiam quam si cælum collaberetur, vel quicquid aliud in rebus corporeis posset accidere. Est autem duplex creatura rationalis, seu intellectualis: una à corpore separata, quam Angelum dicimus; alia corpori iuncta, quæ est anima hominis. In utraque autem lapsus accidere potuit propter arbitrii libertatem. Dico autem creaturæ rationalis lapsus non ut ab esse deficiat, sed secundum quod deficit à rectitudine voluntatis. Lapsus enim, seu defectus præcipue attenditur secundum id quo operatur, sicut artificem errare dicimus, si in arte deficiat qua debet operari; & rem naturalem deficientem dicimus, & collapsam, si corruptatur virtus ejus naturalis per quam agit, puta si in planta vis germinandi deficiat, aut in terra vis fructificandi. Id autem per quod operatur rationalis creatura, est voluntas, in qua consistit libertas arbitrii. Lapsus ergo rationalis creaturæ est secundum quod deficit à rectitudine voluntatis, quod fit per peccatum. Defectum ergo peccati, qui nihil est aliud quam perversitas voluntatis, præcipue Deo convenit removere, & hoc per verbum suum, quo universam condidit creaturam. Angelorum autem peccatum remedium habere non potuit, quia secundum immutabilitatem suæ naturæ (1) impænitibiles sunt ab eo in quod semel convertuntur. Homines autem secundum conditionem suæ naturæ habent mutabilem voluntatem, ut non solum diversa possint eligere (2) vel bona, vel mala; sed etiam postquam unum elegerunt, possunt ab illo respicere, & ad aliud converti: & hæc volubilitas voluntatis in homine manet quamdiu corpori unitur varietati subiecto. Cum autem anima à cor-

pore fuerit separata, eandem immutabilitatem voluntatis habebit quam naturaliter Angelus habet: unde & post mortem anima impænitibilis est, nec potest de bono ad malum converti, nec de malo ad bonum. Sic ergo ad Dei bonitatem pertinuit ut per filium suum naturam humanam collapsam repararet. Modus autem reparationis talis esse debuit quod & naturæ reparandæ conveniret, & morbo. Naturæ dico reparandæ: quia cum homo sit rationalis naturæ, libero arbitrio præditus, non ex necessitate exterioris virtutis, sed secundum propriam voluntatem ad statum rectitudinis revocandus fuit. Morbo etiam, quia cum (3) morbus in perversitate voluntatis consisteret, oportuit quod voluntas ad rectitudinem reduceretur. Voluntatis autem humane rectitudo consistit in ordinatione amoris, qui est principalis affectio. Ordinationem autem amor est ut Deum super omnia diligamus quasi summum bonum, & ut in ipsum referamus omnia quæ amamus tamquam in ultimum finem, ut in aliis amandis servetur debitus ordo, & ut scilicet corporalia spiritualibus postponamus. Ad provocandum autem nostrum amorem in Deum nihil magis valere potuit quam quod verbum Dei, per quod omnia facta sunt, ad reparationem naturæ nostræ eam assumeret, ut idem esset & Deus, & homo. Primo quidem quia ex hoc maxime demonstratur quantum Deus diligit hominem, quod pro ejus salute homo fieri voluit; nec est aliquid quod ad amandum magis provocet quam quod aliquis se cognoscit amari. Deinde quod homo habens intellectum, & affectum ad corporalia depressum, ad ea quæ supra se sunt, de facili elevari non poterat. Facile autem est homini cullibet ut alium hominem diligat, & cognoscit; sed considerare divinam altitudinem, & in eam ferri per debitum amoris affectum, non est omnium hominum, sed eorum qui per Dei auxilium cum magno studio, & labore à corporalibus ad spiritualia sublevantur. Ut ergo omnibus pareret via ad Deum, voluit Deus homo fieri, ut etiam parvuli Deum cognoscere, & amare possent quasi similem sibi; & sic per id quod capere possunt, paulatim proficerent ad perfectum. Per hoc etiam quod Deus factus est homo, spes datur homini ut pervenire possit ad perfectæ beatitudinis participationem, quam solus Deus naturaliter habet. Homo enim suam infirmitatem cognoscens, si ei promittitur quod ad beatitudinem perveniret, cuius vix Angeli sunt capaces, quæ scilicet in visione Dei, & fruitione consistit, vix hoc sperare posset, nisi ex alia parte sibi dignitas naturæ ostenderetur, quam tanti æstimat Deus, ut pro ejus salute fieri homo voluerit. Et sic per hoc quod Deus factus est homo, spem nobis dedit ut etiam homo posset pervenire ad hoc quod uniretur Deo per beatam fruitionem. Valet etiam homini suæ cognitionis dignitatis ex hoc quod Deus humanam naturam assumpsit ad hoc quod affectum suum nulli creaturæ subiceret, neque demones, aut quascumque creaturas colendo per idolatriam, neque corporalibus creaturis se subdendo per inordinatum affectum. Indignum enim est ut cum homo sit tantæ dignitatis secundum æstimationem divinam, & ita Deo propinquus sit ut Deus homo fieri voluerit, quod homo rebus inferioribus Deo inordinate se subiciat.

CA.

(1) Al. impænitibilem. (2) Al. deest vel bona. (3) Al. morbus perversitate voluntatis consideret.

OPUSCULUM II.
CAPUT VI.
Qualiter debet intelligi hoc quod dicitur: Deus factus est homo.

CUM autem dicimus, Deum hominem fieri, neminem existimet hoc sic accipiendum esse ut Deus converteretur in hominem, sicut aer si ignis cum in ignem converteritur. Immutabilis est enim Dei natura: corporea autem sunt quæ invicem convertuntur; spiritualis autem natura in naturam corpoream non convertitur, sed potest ei aequaliter uniri propter efficaciam suæ virtutis, sicut anima unitur corpori; licet humana natura ex anima constet & corpore, anima autem non corporeæ, sed spiritualis naturæ sit. Omnis tamen creatura spiritualis deficit à simplicitate divina nullo amplius quam corporea creatura à simplicitate spiritualis naturæ. Sicut ergo spiritualis natura unitur corpori per efficaciam suæ virtutis, ita & Deus potest uniri tam spirituali, quam corporali: & secundum hunc modum dicimus Deum naturæ humane fuisse unitum.

Est autem attendendum, quod nunquamque maxime videtur esse illud quod invenitur in eo esse principium; omnia autem alia videntur ei quod est principium, adherere, & ab eo quodammodo assumi, in quantum id quod est principium, aliis utitur secundum suam dispositionem: quod quidem patet non solum in ordinatione civili, in qua principes civitatis quasi tota civitas esse videntur, & aliis utuntur secundum suam dispositionem: ut sibi adherentibus, membris, sed etiam in adunatione naturali. Licet enim homo naturaliter constet ex anima & corpore, principalis tamen videtur homo esse anima quam corpus, quod anima adheret, & quo anima utitur ad operationes anime convenientes. Sic ergo & in unione Dei ad creaturam non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura à Deo assumitur, non quidem ut converteretur in Deum, sed ut Deo adhereret: & sunt quodammodo anima, & corpus sic assumpta anima, & corpus ipsius Dei, sicut partes corporis assumptæ ab anima sunt quodammodo ipsius anime membra.

Est tamen in hoc aliqua differentia attendenda. Nam anima licet sit perfectior corpore, non tamen totam perfectionem in se possidet humane naturæ: unde corpus sic ei advenit ut ex corpore & anima una compleatur humana natura, cujus quedam partes sunt anima, & corpus. Sed Deus ita est in natura sua perfectus ut plenitudinem nature ipsius nihil adici possit: unde cum natura divina non potest sic uniri alteri nature, ut ex utraque una constituarur natura communis: sic enim natura divina pars esset illius nature communis; quod repugnat perfectioni divine nature, nam omnis pars imperfecta est. Deus ergo Dei verbum sic humanam naturam assumpsit, quæ ex anima constat & corpore, ut tamen nec altera transiret in alteram, nec ex duabus una natura conflaretur, sed post unionem duæ nature distincte remanerent quantum ad proprietates naturarum.

Est autem rursus considerandum, quod cum spiritualis natura corporeæ unitur per spirituales virtutes, quanto fuerit major virtus spiritualis naturæ, tanto perfectior, & firmitus sibi naturam inferiorem assumit. Est autem virtus Dei infinita, cui omnis creatura subicitur, & unaquæque utitur pro suo arbitrio: non autem eis uteretur, nisi aliquo modo per efficaciam suæ virtutis uniretur eis. Tanto autem ali-

cui naturæ perfectior unitur, quanto in ea magis suam virtutem exercet. Inter omnes siquidem creaturas virtutem suam exercet quantum ad hoc quod omnibus esse largitur, & ad proprias operationes movet; & secundum hoc quodam communi modo in omnibus rebus dicitur esse. Sed specialiori quodam modo virtutem suam exercet in mentibus sanctis, quas non solum in esse conservat, & ad operandum movet, sicut alias creaturas, sed etiam eas convertit ad se cognoscendum, & amandum: unde etiam sic in sanctis mentibus specialiter dicitur habitare, & mentes sanctæ Deo plene esse dicuntur. Quia ergo secundum quantitatem virtutis quam Deus exercet in creaturam, magis & minus dicitur creaturæ uniri; patet quod cum efficaciam divine virtutis humano intellectu comprehendere non possit, sublimiori modo Deus potest creaturæ uniri quam intellectus humanus capere possit. Quodam ergo incomprehensibili, & ineffabili modo dicimus Deum unitum esse humane nature in Christo non solum per inhabitationem, sicut in aliis Sanctis, sed quodam modo singulari, ita quod humane natura esset quedam filii Dei natura; ut filius Dei, qui ab æterno habet naturam divinam à Patre, ex tempore per assumptionem mirabilem habeat humanam naturam ex genere nostro; & sic quilibet partes humane naturæ ipsius filii Dei, dici possunt Deus; & quicquid agit, vel patitur quælibet pars nature humane in filio Dei, potest attribui unigenito Dei verbo. Unde non inconvenienter dicimus animam, & corpus esse filii Dei, sed & oculos, & manus, & quod filius Dei corporaliter videat per oculi visionem, & audiat per auris auditum, & sic de aliis quæ partibus anime, vel corporis convenire possunt.

Hujus autem admirabilis unionis nullum convenientius exemplum inveniri potest quam unio corporis & anime rationalis. Est etiam non inconveniens exemplum de hoc quod verbum nostrum in corde manet absconditum, & sensibile fit per assumptionem vocis, & scripturæ. Sed tamen hæc exempla à prædicta unionis representatione deficiunt, sicut & cætera exempla humane nature à rebus divinis. Nam neque Deitas sic unitur humane nature ut sit pars alicuius nature; neque sic unitur humane nature ut solum significetur per eam, sicut verbum cordis significatur per vocem, aut scripturam; sed sic ut veraciter filius Dei habeat naturam humanam, & homo dicatur.

Patet ergo quod non dicimus, Deum unitum esse nature corporeæ ut sit virtus in corpore ad modum materialium, & corporalium virtutum, quia nec intellectus anime corpori unitæ sic est virtus in corpore. Multo minus ergo Dei verbum, quod ineffabiliter, & sublimiori modo sibi naturam humanam assumpsit. Patet etiam secundum præmissa quod filius Dei & divinam naturam habet, & humanam, unam ab æterno, aliam ex tempore per assumptionem.

Contingit autem ab eodem plura haberi secundum diversos modos; in quibus tamen omnibus semper quod est principalis, habere dicitur; quod autem minus principale, haberi. Habet enim totum multas partes, ut homo manus, & pedes; non autem dicimus converso, quod manus, vel pedes habeant hominem. Habet etiam unum subiectum multa accidentia, sicut pomum colorem, & odorem, non è converso. Habet etiam homo aliqua exteriora, sicut possessiones, & vestes, non è converso. In solis autem illis quæ sunt partes alicuius unitis essentialis, aliquando aliquid dicitur habere, & haberi, ut anima corpus, & corpus animam. Et similiter in quantum vir, & uxor in matrimonio conjunguntur, dicitur vir

inducunt quod Dominus in Evangelio dicit Joan. xiv. 2. *In domo Patris mei mansiones multe sunt.* Circa meritum vero quod ex libero arbitrio dependet, asserit tam Saracenos, quam nationes alias necessitate actibus humanis imponere ex præsentia, vel ordinatione divina, dicentes, quod homo non potest mori, nec etiam peccare, nisi sicut Deus ordinavit de homine, & quod qualibet persona suum eventum habet scriptum in fronte. Super quibus petis rationes morales, & philosophicas quas Saraceni recipiunt. Frustra enim videtur auctoritates inducere contra eos qui auctoritates non recipiunt. Tuæ igitur petitioni, quæ ex pio desiderio videtur procedere, ut sis, iusta apostolicam doctrinam, paratus ad satisfactionem omni poscenti te rationem, satisfacere volens, aliqua facilia, secundum quod materia patietur, super præmissis tibi exponam, quæ tamen alibi diffusius pertractavi.

CAPUT II.

Qualiter sit disputandum contra infideles.

DE hoc tamen primo admonere te volo, quod in disputationibus, contra infideles de articulis fidei, non ad hoc conari debes, ut fidem rationibus necessariis probes. Hoc enim sublimitati fidei derogaret, cuius veritas non solum humanas mentes, sed etiam Angelorum excedit; à nobis autem creduntur quasi ab ipso Deo revelata. Quia tamen quod à summa veritate procedit, falsum esse non potest, nec necessaria ratione impugnari valet quod falsum non est; fides nostra necessariis rationibus sicut probari non potest, quia humanam mentem excedit, ita improbari necessaria ratione non potest propter sui veritatem. Ad hoc igitur debet rendere christiani disputatoris intentio in articulis fidei, non ut fidem probeat, sed ut fidem defendat: unde & beatus Petrus non dicit: *Parati semper ad probationem, sed ad satisfactionem,* ut scilicet rationabiliter ostendatur non esse falsum quod fides catholica confitetur.

CAPUT III.

Qualiter in divinis sit accipienda generatio.

Primum igitur considerandum est derisibile esse irrisionem qua nos irridet, quod ponimus Christum Filium Dei vivi, quasi Deus uxorem habuerit. Cum enim carnales sint, non possunt nisi ea quæ sunt carnis, & sanguinis, cogitare. Quilibet autem sapiens considerare potest, quod non est idem generationis modus in omnibus rebus, sed in unaquaque re invenitur generatio secundum proprietatem suæ naturæ. In animalibus quidem per maris & femine commixtionem; in plantis vero per pullulationem, seu generationem, atque in aliis aliter. Deus autem non est carnalis naturæ, ut foeminam requirat, cui commisceatur ad proles generationem, sed est spiritualis naturæ, sive intellectualis, immo magis super omnem intellectualem. Est ergo in eo accipienda generatio secundum quod convenit intellectuali naturæ. Et quamvis intellectus noster ab intellectu divino deficiat non possumus tamen aliter loqui de intellectu divino nisi secundum similitudinem eorum quæ in intellectu nostro invenimus. Est autem intellectus noster aliquando quidem in potentia intelligens, aliquando in actu. Quandocumque autem actu intelligit, quoddam intelligibile format,

quod est quoddam proles ipsius, unde & mentis conceptus nominatur. Et hoc quidem est quod voce exteriori significatur, unde sicut vox significans, verbum exterius dicitur, ita interior mentis conceptus verbo exteriori significatur, dicitur verbum intellectus, seu mentis. Hic autem mentis nostræ conceptus non est ipsa mentis nostræ essentia, sed est quoddam accidens ei, quia nec ipsum intelligere nostrum est ipsum esse intellectus, alioquin numquam intellectus esset quin actu intelligeret. Verbum igitur nostri intellectus secundum quoddam similitudinem dici potest vel conceptus, vel proles, & præcipue cum intellectus se ipsum intelligit, in quantum scilicet est quædam similitudo intellectus procedens ab intellectuali eius virtute; sicut & filius habet similitudinem patris, procedens ab ejus generativa virtute. Non tamen proprie verbum nostri intellectus potest dici proles, vel filius, quia non est ejusdem naturæ cujus est intellectus noster. Non autem omne quod procedit ab aliquo, etiamsi sit ei simile, dicitur filius: alioquin imago sui, quam aliquis pingit, proprie filius diceretur. Sed ad hoc quod sit filius requiritur quod procedens ab altero similitudinem habeat ejus à quo procedit, & sit ejusdem naturæ cum eo. Quia vero in Deo non est aliud intelligere quam suum esse consequenter neque verbum quod in intellectu ejus concipitur, est aliquid accidens, aut aliquid alienum ab ejus natura, sed ex hoc ipso quod verbum est, habet rationem procedentis ab altero, & ut similitudo ejus cujus est verbum: hoc enim in verbo nostro reperitur.

Sed istud verbum Dei habet ulterius quod non sit aliquid accidens, neque aliqua pars Dei, qui est simplex, neque aliquid alienum à divina natura, sed quoddam completum subsistens in natura divina habens rationem ab altero procedentis: sine hoc enim verbum intelligi non potest. Hoc autem secundum humanæ locutionis consuetudinem nominatur filius, quod procedit ab alio in similitudinem ejus, subsistens in eadem natura cum ipso. Secundum igitur quod divina verbis humanis nominari possunt, verbum intellectus divini filium Dei nominamus; Deum vero, cujus est verbum, nominamus Patrem; processum verbi dicimus esse generationem filii immaterialem, non autem carnalem, sicut carnales homines suspiciantur.

Est autem aliud in quo excedit prædicta filii Dei generatio omnem generationem humanam, sive materialem, secundum quam homo ex homine nascitur; sive intelligibilem, secundum quam verbum accipitur in mente humana. In utraque enim illud quod per generationem procedit, invenitur posterius tempore eo à quo procedit. Pater enim non generat statim à principio sui esse, sed oportet quod de imperfecto ad statum perfectum veniat, in quo generare possit. Nec iterum statim ut generationi operam dat, filius nascitur, quia carnalis generatio in quadam mutatione consistit, & successione secundum intellectum etiam non statim à principio homo est aptus ad intelligibiles conceptus formando; sed postquam ad statum perfectionis venit: unde non sentit per actu intelligit, sed potentia est intelligens tantum, & post fit intelligens actu, & iterum desinit actu intelligere, & remanet intelligens in potentia, vel habitu tantum. Sic ergo verbum homine posterius invenitur tempore, & desinit aliquando esse antequam homo. Impossibile est autem ista duo Deo convenire, in quo neque imperfectio, neque mutatio locum habet, neque etiam exitus de potentia

ad actum, cum sit actus purus, & primus. Verbum ergo Dei coæternum est ipsi Deo.

Est autem & aliud in quo verbum nostrum differt à divino. Intellectus enim noster non simul intelligit omnia, neque unico actu, sed pluribus, & diversis; & ideo verba intellectus nostri sunt multa; sed Deus omnia simul intelligit, & unico actu, quia ejus intelligere non potest esse nisi unum, cum sit suum esse: unde sequitur quod in Deo sit unum verbum tantum.

Uterius est consideranda alia differentia, quod scilicet verbum intellectus nostri non adequat intellectus virtutem, quia cum aliquid mente concipimus, adhuc possumus alia multa concipere: unde verbum nostri intellectus imperfectum est, & in eo potest compositio accidere, dum ex multis imperfectis fit unum verbum perfectum, sicut cum intellectus concipit aliquam enuntiationem, seu definitionem alicujus rei. Sed verbum divinum adequat virtutem Dei, quia per suam essentiam se ipsum intelligit, & omnia alia: unde quanta est essentia, tantum est verbum quod concipit per essentiam suam, sed & omnia alia intelligendo. Est ergo perfectum, simplex, & æquale Deo: & hoc verbum Dei filium nominamus ratione jam dicta, quod ejusdem naturæ cum patre, & patri coæternum, unigenitum, & perfectum confitemur.

CAPUT IV.

Qualiter in divinis sit accipienda processio Spiritus Sancti à patre, & filio.

EST autem considerandum ulterius, quod omnem cognitionem sequitur aliqua appetitiva operatio. Inter omnes autem appetitivas operationes invenitur amor esse principium, quo sublato, neque gaudium erit, si adipiscitur aliquid quod non amat; neque tristitia, si impediatur ab eo quod amat, si videlicet amor tollatur, & per consequens tolluntur omnes appetitivæ operationes, quæ quodammodo ad tristitiam, & gaudium referuntur. Cum igitur in Deo sit perfecta cognitio, oportet etiam in eo ponere perfectum amorem: in quo quidem processus secundum appetitivam operationem exprimitur, sicut & in verbo per operationem intellectus.

Est autem attendenda differentia quædam inter intellectualem operationem & appetitivam: nam operatio intellectus, & omnis omnino cognitiva operatio compleitur per hoc quod cognoscibilia in cognoscente quodammodo existunt, scilicet sensibilia in sensu, & intelligibilia in intellectu; operatio autem appetitiva compleitur secundum quendam ordinem, vel motum appetentis ad res appetitui objectas. Ea vero quæ habent oculum principium sui motus, spiritus nomen accipiunt: sic enim venti spiritus dicuntur, quia eorum principium non apparet. Respiratio etiam arteriarum, qui est motus ab intrinseco principio procedens, spiritus nomen accepit: unde convenienter, secundum quod divina humanis significari possunt, ipse divinus amor procedens spiritus nomen accipit.

Sed in nobis amor ex duplici causa procedit: quandoque quidem ex corporea, & materiali natura, qui est amor immundus, quia per eum puritas mentis turbatur; quandoque autem ex ipsa proprietate naturæ spiritualis, sicut cum amamus intelligibilia bona, & quæ rationi conveniunt, & hic est amor purus. In Deo autem amor materialis locum non ha-

bet. Convenienter igitur amorem ipsius non solum spiritum, sed Spiritum Sanctum vocamus, ut per hoc quod dicitur sanctus, ejus puritas exprimitur.

Manifestum est autem quod nihil amare possumus intelligibili, & sancto amore nisi quod actu per intellectum concipimus. Conceptio autem intellectus est verbum: unde oportet quod amor à verbo oriatur. Verbum autem Dei dicimus esse filium. Ex quo patet Spiritum Sanctum esse à filio. Sicut autem divinum intelligere est ejus esse, ita etiam amare Dei est ejus esse: & sicut Deus semper actu intelligit, & omnia intelligendo se ipsum intelligit; ita etiam se amat, & omnia amat suam bonitatem amando. Sicut ergo Dei filius, qui est verbum Dei, subsistens esse in natura divina, & coæternus patri, atque perfectus, & unicus; ita etiam hac omnia de Spiritu Sancto confiteri oportet. Ex hoc autem colligere possumus quod cum omne quod subsistit in natura intelligente, apud nos persona dicatur, apud Græcos autem hypostasis: necesse est dicere, quod verbum Dei, quod filium nominamus, sit quædam hypostasis, seu persona; & idem de Spiritu Sancto dici oportet. Nulli autem est dubium quin Deus, à quo verbum, & amor procedit, sit res subsistens, ut etiam dici possit hypostasis, vel persona. Et per hunc modum convenienter ponimus in divinis tres personas, scilicet personam patris, personam filii, & personam Spiritus Sancti. Has autem tres personas, vel hypostases non dicimus esse per essentiam diversas: quia, ut dictum est, sicut intelligere, & amare Dei est ejus esse: ita verbum, & amor ejus sunt ipsa essentia Dei. Quicquid autem de Deo absolute dicitur, non est aliud quam Dei essentia. Non enim est Deus magnus, vel potens, vel bonus accidentaliter, sed per essentiam suam: & tres personas, vel hypostases non dicimus in divinis distinctas per aliquid absolutum, sed per solas relationes, quæ ex processione verbi, & amoris proveniunt. Et quia processionem verbi nominamus generationem, ex generatione autem proveniunt relationes paternitatis, & filiationis; personam filii à persona patris distinguimus solummodo paternitate, & filiatione; omnia communiter, & indifferenter de utroque prædicantes. Sicut enim dicimus patrem verum Deum, omnipotentem, æternum, & quæcumque similiter dicuntur, sic & filium: & eadem ratio est de Spiritu Sancto. Quia ergo pater, & filius, & Spiritus Sanctus non distinguuntur in natura Divinitatis, sed in relationibus solum; convenienter tres personas non dicimus tres deos, sed unum verum Deum, & perfectum profitemur. In hominibus autem ideo tres personæ tres homines dicuntur, & non unus homo, quia natura humanitatis, quæ communis est, differenter convenit eis secundum materialem divisionem, quæ omnino in Deo locum non habet. Unde in tribus sunt tres humanitates numero differentes, & sola ratio humanitatis in eis communis invenitur. In tribus autem divinis personis non tres divinitates numero differentes, sed unam simplicem Deitatem necesse est esse; cum non sit alia essentia verbi, & amoris in Deo ab essentia Dei; & sic non tres deos, sed unum Deum confitemur, propter unam simplicem Deitatem in tribus personis.

CAPUT V.

Quæ fuit causa incarnationis filii Dei.

EX simili autem cæcitate irridet christianam fidem: quia Christum confitemur Dei filium mortuum

nam voluntariam aliquam assumendo, etiam pro peccato proprio, necdum pro peccato universorum. Cum enim homo peccat, legem Dei transgreditur; & sic quantum est in se, injuriam Deo tacit, qui est majestatis infinite. Tanto autem est major injuria, quanto major est in quem committitur: patet enim quod major injuria reputatur, si quis percutiat militem, quam si rusticum; & adhuc major, si regem, vel Principem. Habet ergo peccatum contra legem Dei commissum quodammodo injuriam infinitam.

Sed rursus considerandum est, quod secundum dignitatem satisfaciens etiam satisfactio ponderatur. Unum enim verbum deprecatorium à Rege prolatum pro satisfactione injuriæ, major satisfactio reputatur quam si eo inferior vel gemma fleckeret, vel aliam quamvis humiliationem ostenderet ad satisfaciendum passo injuriam. Nullus autem homo purus erat infinitæ dignitatis, cujus satisfactio posset esse condigna contra Dei injuriam. Oportuit igitur ut esset aliquis homo infinite dignitatis qui poenam subiret pro omnibus, & sic condigne satisfaceret pro totius mundi peccatis. Ad hoc ergo unigenitum Dei verbum, verus Deus, & Dei filius naturam humanam assumpsit, & in ea mortem pati voluit, ut totum genus humanum pro peccato satisfaciendo purgaret: unde & Petrus dicit I. Pet. 1. 18. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro injustis &c.*

Non ergo, ut opinantur, conveniens fuit quod Deus sine satisfactioe sua humana peccata purgaret, neque etiam quod hominem non permitteret cadere in peccatum. Primum enim repugnaret ordini justitiæ, secundum ordini naturæ humanæ, per quam homo factus est sue voluntatis liber, potens bonum, vel malum eligere. Providentia autem est rerum naturam, & ordinem non destruere, sed salvare. In hoc ergo maxime Dei sapientia apparuit quod ordinem rerum servavit tam justitiam, quam naturam; & tamen misericorditer providit homini salutis remedium per filii sui incarnationem, & mortem.

CAPUT VIII.

Qualiter sit accipiendum quod fideles accipiunt corpus Christi.

Quia ergo per passionem, & mortem Christi homines à peccato purgantur, ut hujus tam immani beneficii jugis in nobis maneret memoria, filius Dei passione appropinquante, suæ passionis, & mortis memoriam fidelibus suis reliquit jugiter recolandam, suum corpus, & sanguinem tradens discipulis sub speciebus panis, & vini, quod usque nunc in memoriam illius venerandæ passionis ubique terrarum Christi frequentat Ecclesia.

Quam vane autem hoc sacramentum irrideant infideles, quilibet etiam parum in christiana religione instructus de facili potest attendere. Non enim dicimus, quod corpus Christi dilaceretur in partes, & quod sic divisum à fidelibus sub Sacramento sumatur, ut oporteat quandoque illud deficere, etiamsi magnitudinem montis haberet, ut dicunt; sed dicimus pro conversionem panis in corpus Christi ipsum corpus Christi in Sacramento Ecclesie esse, & à fidelibus manducari. Ex quo ergo corpus Christi non dividitur, sed in ipsum aliquid convertitur, nulla necessitas est ut per manducationem fidelium quantitas ejus aliquid subtrahatur.

Si quis autem infidelis velit dicere hanc conversionem impossibilem esse, consideret Dei omnipotentiam.

Confiteatur quidem quod per virtutem naturæ possit una res converti in aliam quantum ad formam, sicut quod aer in ignem convertitur, dum materia quæ prius erat subjecta formæ aeris, postea formæ ignis subjicitur. Multo magis ergo virtus omnipotentis Dei, quæ totam rei substantiam inesse producit, non solum transmutando secundum formam, ut facit natura, poterit hoc totum in illud totum convertere, ut sic panis in corpus Christi convertatur, & vinum in sanguinem.

Si autem huic conversioni aliquis velit repugnare per id quod sensui apparet, nam nihil secundum sensum immutatur; consideret, sic nobis divina proponi ut ad nos sub tegumento visibilium rerum deveniant. Ut ergo Christi corpus, & sanguis, spiritalis, & divina refectio haberetur, & non quasi cibus, & potus communis; sub specie panis, & vini sumitur, ut non sit horribile carnem humanam comedere, & sanguinem bibere. Non tamen hoc fieri dicimus quasi species illa quæ sensibus apparet in sacramento, sint solum in phantasia videntium, sicut solet esse in præstigiis artis magice, quia veritatis Sacramentum nulla fictio decet; sed Deus, qui est substantia, & accidentis creator, potest accidentia sensibilis conservare in effectus, subjectis tamen in aliud mutatis. Potest enim effectus causarum secundarum per sui omnipotentiam absque causis secundis & producere, & in esse conservare.

Si quis vero Dei omnipotentiam non confiteatur, contra talem in hoc opere disputationem non assumimus, sed contra Saracenos, & alios qui Dei omnipotentiam confitentur. Alla vero hujus mysteria Sacramenti non sunt hic magis discutienda, quia infidelibus secreta fidei pandi non debent.

CAPUT IX.

Qualiter est specialis locus ubi anima purgantur antequam sint beata.

Nunc restat considerare de opinione quorundam dicentium, purgatorium non esse post mortem: ad quam quidem ut homines aliqui devenirent, contigisse videtur quod in pluribus aliis contingit. Dum enim aliquos errores vitare voluerunt, inciderunt in errores contrarios. Sic Arius dum vitare voluit errorem Sabellii confundentis sanctæ Trinitatis personas, incidit in errorem contrarium, ut divideret Deitatis essentiam. Similiter Eutychem dum vitare voluit errorem Nestorii dividentis in Christo personam Dei, & hominis, contrarium errorem instituit, ut confiteretur unam esse Dei, & hominis naturam. Sic etiam dum aliqui vitare voluit Origenis errorem ponentis omnes penas post mortem purgatorias esse, in contrarium prolabantur errorem, ut dicant nullam poenam post mortem purgatoriam esse. Sancta vero catholica, & Apostolica Ecclesia inter errores contrarios media lentu passu incedit. Sicut enim distinguit personas in Trinitate contra Sabellium, & tamen in errore Arii non declinat, sed unam tantum confiteretur personarum essentiam; in incarnationis vero mysterio è converso naturas distinguit contra Eutychem, nec tamen cum Nestorio personam separat: sic & in statu animarum post mortem penas quasdam purgatorias confiteatur, eorum dumtaxat, qui de hoc sæculo absque peccato mortali cum charitatis gratia decedunt; nec cum Origene omnes penas purgatorias confiteatur; sed qui cum peccato mortali decedunt, cum diabolo, & Angelis: ejus æterno

con-

confiteatur supplicio cruciandos.

Ad veritatem ergo assertionem primo considerandum est, quod illi qui in peccato mortali decedunt, statim ad infernalium supplicia rapiuntur, quod aperte ex Evangelio probatur: dicitur enim Luc. xvi. 22. ex ore Domini, quod mortuus est dives epulo, & sepultus in inferno: & de cruciatu ejus ex ipsius confessione apparet, dum dicit: *Quia crucior in hac flamma. Job quoque de inferis dicit, Job xxi. 13. Duceant in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Item Job xxi. 17. Qui dicebant Deo: Recede à nobis &c.* Non solum autem impii pro peccatis propriis, sed etiam iusti ante passionem Christi pro peccato primi parentis in morte ad inferos descendebant: unde Jacob dicebat Gen. xxxv. 1. 35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Unde ipse Christus moriens ad inferna descendit, ut in Symbolo continetur, sicut ante per Prophetam prædictum fuerat: *Non derelinques animam meam in inferno: Psalm. xv. 10, quod Petrus in Actibus de Christo exponit. Licet Christus alio modo ad inferna descenderit, non quasi peccato obnoxius, sed solus inter mortuos liber, ad hoc descendit ut expoliaret principatus, & potestates, captivam duceret captivitatem, sicut per Zachariam fuerat prædictum, Zach. ix. 11. Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti unctioes tuas de lacu, in quo non est aqua.*

Sed quia miserationes Dei sunt super omnia opera ejus, credendum est multo magis, quod illi qui sine maculi moriuntur, statim æterna retributionis mercedem recipiant. Et hoc quidem evidenter auctoritatibus maxime probatur. Dicit enim Apostolus II. ad Corinth. v. 1. cum mentionem de tribulationibus Sanctorum fecisset: *Scimus enim, inquit, quod si terrestri domus nostra hujus habitacionis dissolvatur, quod ædificacionem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cælis.* Ex quibus verbis prima facie inspectis hoc videtur alicui posse, quod dissoluto mortali corpore, homo celestis gloria induatur. Sed ut hic sensus evidenti fiat, sequentia pertractemus. Quia enim duo proposuerat, scilicet dissolutionem habitacionis terrene, & adeptionem domus celestis, ostendit quomodo desiderium hominis se habet ad utrumque, cum quadam expositione utriusque. Unde primo subjungit de desiderio celestis domus, & dicit, quia *ingemiscimus* in hoc quod à nostro desiderio retardati cupimus superindui habitacionem celestem: per quod etiam videtur intelligere, quod illa domus celestis, quam supra dixerat, non est aliquid ab homine separatum, sed aliquid homini inherens. Non enim dicitur homo induere domum, sed vestimentum; sed dicitur aliquis inhabitare domum. Cum ergo hæc duo conjungit, dicens, *superindui habitacionem*, ostendit quod id quod est primo desideratum, est aliquid inherens, quia induitur, & est aliquid continens, & excedens, quia inhabitatur. Quid autem sit illud desideratum, patet ex sequentibus. Sed quia non simpliciter dixerat indui, sed *superindui*, rationem sui dicit exponit, subdens: *Si tamen vestiti, & non nudi inveniamur; quasi dicat: Si anima sic indueretur habitacione celesti quod non exueretur habitacione terrena, adeo illius habitacionis esset superinduitio. Sed quia oportet quod exuatur habitacione terrena ad hoc quod induatur celesti, non potest dici superinduitio simpliciter. Posset ergo aliquis ab Apostolo querere: Quare ergo dixisti: *Superindui cupientes?* Ad quod respondet dicens: *Nam & qui su-**

*mus in tabernaculo isto, idest qui induimur in terreno habitaculo quasi transitorio, non domo quasi permanente, ingemiscimus gravati quasi aliquo accidente contra desiderium nostrum, eo quod secundum naturam desiderium nostrum volumus expoliari quasi tabernaculo terrene, sed superestiri celesti, ut absorbeatur quod mortale est, à vita, idest ut ad vitam immortalis sine quærens gustu transeat. Posset autem iterum aliquis querere ab Apostolo, quia rationabiliter apparet quod nolumus expoliari terrena inhabitacione, quæ est nobis naturalis, & sic nec quod habitacionem celestem indui cupiamus. Ad hoc responderet, subdens: *Qui autem in nobis efficit hoc ipsum, ut desideremus celestia, Deus est.* Et quomodo in nobis hoc efficit, ostendit subdens: *Qui dedit nobis pignus spiritus.* Per Spiritum enim Sanctum, quem accepimus à Deo, sumus de celesti habitacione adipiscenda certi, & solliciti, sicut per pignus de debito recuperando. Ex hac ergo certitudine in desiderium celestis habitacionis elevamur. Sic ergo in nobis duo sunt desideria: unum naturæ de terrena inhabitacione non deservenda; aliud gratiæ de celesti habitacione consequenda. Sed hæc duo desideria impleri non possunt, quia ad celestem habitacionem pervenire non possumus, nisi terrenam deseramus. Unde cum quadam fiducia firma, & audacia desiderium gratiæ preferimus desiderio naturæ, ut velimus terrenam habitacionem deserere, & ad celestem pervenire: & hoc est quod subdit: *Audent ergo semper, & scientes quoniam dum sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino (per fidem enim ambulamus, & non per speciem.) Audent autem, & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & presentes esse ad Dominum.* Apertius ergo quod ipsum corpus corruptibile supra nominavit terrestrem domum hujus habitacionis, & tabernaculum, quod quidem corpus est animæ quasi quoddam indumentum. Apertius etiam quid supra dixerit domum non manufactam, sed æternam in cælis: quia ipsum Deum, quem homines induunt, vel etiam inhabitant, dum ei præsentem existunt per speciem, idest videndo eum sicut est, peregrinamur ab eo, dum per fidem tenent quod nondum vident. Desiderant ergo Sancti peregrinari à corpore, ut eorum animæ per mortem à corporibus separantur, ad hoc quod sic peregrinantes à corpore, sint presentes ad Dominum.*

Patet ergo quod Sanctorum animæ à corporibus absolute ad celestem habitacionem perveniunt Deum videntes. Non ergo sanctarum animarum differunt gloria, quæ in Dei visione consistit, usque ad diem judicii, quo corpora resument. Hoc etiam apparet per dictum Apostoli ad Philipp. 1. 23. ubi dicit (1) *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Vanum enim hoc desiderium esset, si corpore dissoluto adhuc Paulus cum Christo non esset, quem tamen constat esse in cælis. Manifeste etiam Dominus latroni in cruce contenti dixit, Luc. xxi. 43. *Hodie mecum eris in paradiso*, per paradisi gloriæ fruitionem designans. Unde non est credendum, quod suos fideles Christus remunerare differat, quantum ad gloriam animarum, usque ad corporum resurrectionem. Quod ergo Dominus dicit, *In domo Patris mei mansiones multe sunt*, ad differentias referit præmiorum, quibus Sancti in celesti beatitudine remunerantur à Deo, non extra domum, sed in ipsa domo.

His autem visis, consequens est purgatorium animarum esse post mortem. Ex multis enim sacre Scripturæ auctoritatibus manifeste habetur quod ad illam

D 2

coe-

(1) *Vulgata Desiderium habens.*

caelestem gloriam nullus pervenire potest cum macula. Dicitur enim de divine sapientie participatione, Sapientie VII. quod nihil inquinatum intrabit in eam. Consistit autem caelestis felicitas in sapientie participatione perfecta, qua per speciem Deum videbimus. Oportet igitur omnino sine macula esse eos qui ad illam perducuntur. Hoc etiam habetur ex positis Isai. xxxv. 8. *Via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus: & Apoc. xxi. 27. Non intrabit in eam aliud inquinatum.* Contingit autem aliquos in hora mortis aliquibus peccatorum maculis coinquinari, propter quæ tamen æternam inferni damnationem non merentur, sicut sunt venialia peccata, ut verbum otiosum, & hujusmodi. Non ergo ad caelestem beatitudinem qui talibus inquinati decedunt, possunt pervenire statim post mortem; pervenirent autem, ut probatum est, si tales macule in eis non essent. Ad minus ergo post mortem dilationem gloriæ patientur propter venialia. Nulla autem est ratio quare magis hanc penam quam aliam animas pati post mortem concedant; præsertim cum carentia visionis divine, & separatio à Deo, major sit pœna etiam existentibus in inferno quam ignis supplicium, quod ibi patiuntur. Ergo anime decedentium cum venialibus purgatorium ignem post mortem sustinent.

Si quis autem dicat, hæc peccata venialia remanere purganda per ignem conflagrationis mundi, qui faciem præcedet judicis; hoc cum præmissis stare non potest. Ostensum est enim, quod Sanctorum anime, in quibus nulla est macula, statim corpore dissoluto caelestem habitationem adipiscunt; nec potest dici, quod anime cum peccatis venialibus perveniant ad gloriam, ut est ostensum. Differtur ergo eorum gloria propter venialia usque ad diem judicis: quod omnino improbabile est, ut scilicet pro levibus peccatis tantam penam patiatur aliquis in gloriæ dilatione. Amplius contingit aliquos ante mortem perficere non potuisse penitentiam debitam pro peccatis, de quibus penituerunt; nec est divine justitiæ conveniens quod illam ulterius non exsolvant: sic enim melioris conditionis essent qui cito morte præoccuparentur, quam qui diutinam penitentiam in hac vita perficiunt. Patiuntur ergo post mortem hanc penam. Non autem in inferno, in quo homines pro mortalibus patiuntur, cum jam per penitentiam sint mortalia dimissa. Nec etiam esset conveniens ut pro exsolutione hujus pœnæ usque ad diem judicis eis gloriæ debita differretur. Oportet ergo ponere aliquas pœnas temporales, & purgatorias post hanc vitam ante diem judicis.

Hæc etiam concordat Ecclesiæ ritus ab Apostolis introductus. Orat enim tota Ecclesia pro fidelibus defunctis. Patet autem quod non orat pro his qui sunt in inferno, ubi nulla est redemptio; neque pro his qui caelestem gloriam sunt adepti, qui jam pervenerunt ad finem. Relinquitur ergo quod sunt aliquæ pœnæ temporales, & purgatorie post hanc vitam, pro quarum remissione orat Ecclesia. Hinc etiam Apostolus dicit I. Corinth. III. 13. *Uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit, quod super adificavit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* Non autem potest hoc intelligi de igne inferni, quia qui illum ignem patiuntur, non salvantur. Oportet ergo quod intelligatur de aliquo igne purgantie.

Et quia potest aliquis dicere hoc esse intelligendum de igne qui præcedet faciem judicis, præcipue quia præmittitur: *Dies Domini declarabit: dies autem Domini intelligitur dies ultimi advenus ejus ad judi-*

cium universale totius mundi, sicut Apostolus dicit I. Thessal. v. 2. *Dies Domini sicut fur in nocte: ita veniet: ideo attendendum est, quod sicut dies judicis dicitur dies Domini, quia est dies advenus ejus ad iudicium universale totius mundi; ita dies ejusdemque dicitur dies Domini, quia ad unumquemque in morte venire dicitur Christus remuneraturus, vel condemnaturus. Unde quantum ad remunerationem bonorum dicit ad discipulos, Joann. xiv. 3. *Si abero, & præparavero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipsum.* Quantum vero ad damnationem malorum dicitur Apoc. II. 5. *Age penitentiam, & prima opera fac: si autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo.* Dies ergo Domini quoad universale iudicium in igne revelabitur, qui faciem judicis præcedet, quo reprobi ad iudicium trahentur, & justi qui vivi reperientur, purgabuntur; sed & dies Domini, quo unumquodque in sua morte iudicatur, in igne revolvitur, qui purgat bonos, & impios condemnat.*

Sic ergo patet purgatorium esse post mortem.

CAPUT X.

Quod divina prædestinatio humanis actibus necessitatem non imponat.

NUnc ultimo considerandum est, an propter ordinationem, seu prædestinationem divinam humanis actibus necessitas imponatur. In qua questione sic caute procedendum est, ut veritas defendatur, & falsitas, seu error vitetur.

Erroneum enim est dicere, quod actus humani, & eventus, præscientiæ, & ordinationi divine non subdant. Nec minus est erroneum dicere, quod præscientia, vel ordinatione divina humanis actibus necessitas injungatur: tolleretur enim libertas arbitrii, consulendi opportunitas, legum utilitas, sollicitudo bene operandi, & præmiorum, & pœnarum justitiæ.

Est ergo considerandum, quod Deus aliter habet scientiam de rebus quam homo. Homo enim subiectus est temporis, & ideo res temporaliter cognoscit, quædam respiciens ut præsentia, quædam ut præterita recolens, & quædam prævidens ut futura. Sed Deus est superior temporis discursu, & esse suum est æternum: unde & ejus cognitio non est temporalis, sed æterna: comparatur autem æternitas ad tempus sicut indivisibile ad continuum. In tempore enim invenitur diversitas quædam partium secundum prius & posterius succedentium, sicut in linea inveniantur diversæ partes secundum situm ad invicem ordinatæ; sed æternitas prius & posterius non habet, quia res æternæ mutatione carent: & sic æternitas est tota simul, sicut & punctum partibus caret secundum situm distinctis. Punctum autem dupliciter ad lineam comparari potest: uno quidem modo sicut intra lineam comprehensum, seu sit in principio lineæ, seu in medio, seu in fine; alio modo ut extra lineam existens. Punctum ergo intra lineam existens non potest omnibus partibus lineæ adesse, sed in diversis partibus lineæ oportet diversa puncta signari; punctum vero quod extra lineam est, nihil prohibet æqualiter omnes lineæ partes respicere; ut patet in circulo, cujus centrum cum sit indivisibile, æqualiter respicit omnes circumferentiæ partes, & omnes quodammodo sibi sunt præsentis, licet non una earum alteri. Puncto autem incluso in linea similiter insans, quod est terminus temporis, quod quidem non adest omnibus partibus temporis, sed in diversis partibus temporis di-

ver-

versa instantia significantur. Puncto vero quod est extra lineam, scilicet centro, quodammodo similatur æternitas: quæ cum sit simplex, & indivisibilis, totum decursum temporis comprehendit, & quælibet pars temporis est ei æqualiter præsens, licet partium temporis una sequatur aliam. Sic igitur Deus, qui de æternitate excelsio omnia respicit, super totum temporis decursum, & omnia quæ geruntur in tempore, presentialiter intuetur. Sicut ergo cum video Sortem sedere, infallibilis est, & certa mea cognitio, nulla tamen ex hoc Sorti necessitas sedendi imponitur; ita Deus omnia quæ sunt nobis præterita, vel futura, vel præsentia, quasi præsentia inspiciens, infallibiliter, & certitudinaliter cognoscit, ita tamen quod contingentibus nulla necessitas imponitur existendi. Hujus autem exemplum accipi potest, si comparemus decursum temporis ad transitum viæ. Si quis enim sit in via, per quam transeat multi, videt quidem eos qui sunt ante se, qui vero post ipsum transeunt, per certitudinem scire non potest. Sed si quis sit in aliquo excelsio loco, unde totam viam aspiciere possit, simul videt omnes qui transeunt per viam. Sic ergo homo qui est in tempore, non potest totum decursum temporis simul videre, sed videt ea solum quæ coram assistunt, præsentia scilicet, & de præteritis aliqua; sed ea quæ ventura sunt per certitudinem scire non potest. Deus autem de excelsio suæ æternitatis per certitudinem vi-

det quasi præsentia omnia quæ per totum temporis decursum aguntur, absque hoc quod rebus contingentibus necessitas imponatur.

Sicut autem divina scientia contingentibus necessitatem non imponit, sic nec ejus ordinatio, qua provide ordinat universa. Sic enim ordinat res sicut agit res: non enim ejus ordinatio cassatur, sed quod per sapientiam ordinat, exequitur per virtutem. In actione autem divine virtutis hoc considerare oportet, quod operatur in omnibus, & movet singula ad suos actus secundum modum uniuscujusque; ita quod quædam ex morione divina ex necessitate suas actiones perficiunt, ut patet in motibus caelestium corporum; quædam vero contingenter, quæ interdum à propria actione deficiunt, ut patet in actionibus corruptibilium; arbor enim quandoquæ à fructificando impeditur, & animal à generando. Sic ergo divina sapientia de rebus ordinat, ut ordinata proveniant secundum modum propriarum causarum. Est autem hic modus naturalis homini ut libere agat, non coactus, quia rationales potestates ad opposita se habent. Sic igitur Deus ordinat de actibus humanis, ut actus humani necessitati non subdantur, sed proveniant ex arbitrii libertate.

Hæc igitur quæ sunt ad præsens, visa sunt de propositis questionibus conscribenda; quæ tamen alibi diligentius pertractata sunt.

DIVI THOMÆ AQUINATIS, COMPENDIUM THEOLOGIÆ AD FRATREM REGINALDUM SOCIUM SUUM CHARISSIMUM. OPUSCULUM III. *

* Al. II.

PARS I.

CAPUT I.



Terni Patris verbum sua immensitate universa comprehendens, ut hominem per peccata minoratum in celsitudinem divine gloriæ revocaret, breve fieri voluit nostra brevitate assumpta, non sua deposita majestate. Et ut à caelestis verbi capessenda doctrina nullus excusabilis redderetur, quod pro studiosis diffuse, & dilucide per diversa Scripturæ sanctæ volumina tradiderat, propter occupatos sub brevi summa humanæ salutis doctrinam conclusit. Consistit enim humana salutis in veritatis cognitione, ne per diversos errores intellectus obscuretur humanus; in debitis finis intentione, ne indebitis fines secundo, à vera felicitate deficiat; in justitiæ observatione, ne per vitia diversa sordescat. Cognitionem

autem veritatis humanæ salutis necessariam brevibus & paucis fidei articulis comprehendit. Hinc est quod Apostolus ad Rom. IX. 28. dicit: *Verbum abbreviatum faciet Deus super terram: & hoc quidem est verbum fidei, quod prædicamus.* Intentionem humanam brevi oratione rectificavi; in qua dum nos orare docuit, quomodo nostra intentio, & spes rendere debet, ostendit. Humanam justitiam quæ in legis observatione consistit, uno præcepto charitatis consummavit. *Plenitudo enim legis est dilectio.* Roman. XII. 10. Unde Apostolus I. Corinth. XII. 13. in fide, spe, & charitate, quasi in quibusdam salutis nostræ compendiosis capitulis, totam præsentie vitæ perfectionem consistere docuit, dicens: *Nunc autem emanent fides, spes, & charitas, Unde hæc tria sunt, ut beatus Augustinus dicit, quibus colitur Deus. Ut igitur tibi, filii charissimi Reginalde, compendiosam doctrinam de christiana religione tradam, quam semper præ oculis possis habere, circa hæc tria in præsentem opere tota nostra versatur intentio. Primum de*

fi-